

I 2 W

1 6 0 5

✓ 00/19.

ms. Nr. 296.

Gesner, Jul. (Zug disputations)

—(46) Hoe, M.

K. IV. 31.


Rupertus Niesing accepit
Jacobo Tappia.

comptur 1.13.7



767.

30



DISPUTATIO XX.
DE SACRAMENTO
ORDINIS

PRO SECUNDA PARTE EX-
AMINIS CONCILII TRIDENTI-
ni Reverendi & Clarissimi Viri, Dn.

D. MARTINI CHEMNITII,

In qua duæ tractantur quæstiones:

- I. *Utrum ordinatio sit Sacramentum propriè dictū.*
- II. *Qua sit legitima & ordinaria ministrorum ver-
bi vocatio.*

SUB PRÆSIDIO
SALOMONIS GESNERI, S. S. The-
ologiae D. & Professoris in Academia VVi-
teb. publici, ad diem 18. Julij in templo ar-
cis Electoralis proposita

à
M. NICOLAO BERGEMANNO,
Gardeleb. March.

WITEBERGÆ
Typis VVolfgangi Meisneri,
Anno 1604.





AMPLISSIMIS, CONSVL-
TISSIMIS, ERVDITIONIS ET PRVDENTIAE
laude clarissimis Dn. COS S. & caeteris Senatorii ordinis in
inckyta Republ. Gardelebiensi Viris, pa-
triae patribus:

*Dominis, Mecanatibus & patronis suis magnis,
ac perpetim colendis,*

Hæc themata Theologica in solenne debiti honoris ac per-
petuum animi grati testimonium, demissè
offert ac inscribit

Autor ac Respondens:

763.

CONTINUATIO.

Rostquam superioribus aliquot disputationibus factam
 Augiæ Papalis de commentitiis ipsorum Sacramentis, con-
 firmationis, pœnitentiæ & extremæ unctionis haram, pro-
 viribus expurgare capimus: aggrediemur nunc sup̄ Deū quar-
 tam haræ hujus cellulam, quæ Sacramentum ordinis con-
 tinet, eiusq; factam abominationem consuetæ ἑτερόσεως loco, in aper-
 to spectandam sistemus & ad trutinam verbi divini, orthodoxæ Ecclesiæ
 praxin, ac sanioris rationis κρισιμ̄ revocabimus, ut absurditas eius omni-
 bus innotescere queat. Quod ut commodius fiat, duo sequentia summa
 quasi capita pro instituti nostri ratione examinabimus; quorum prius
 expendet, an ordinatio sit Sacramentum verè ac propriè dictum: poste-
 rius vero, quæ sit legitima, vera & ordinariaria Ministrorum verbi & Sa-
 cramentorum vocatio.

CAPUT I.

AN ORDINATIO SIT SACRAMENTUM
 verè ac propriè dictum.

THESIS I.

Ritum ordinationis à nemine sanæ mentis reprehendi
 jure posse, nec unquam à nobis in dubium vocatum esse, an reti-
 neri debeat, initio protestamur. Apparet enim antiquissimum
 hunc morem impositionis manuum à Sanctis Patribus & Apostolis ac-
 ceptum & ad nos propagatum esse. Fuit enim olim & rei ad cultum
 Dei destinata, & benedictionis divinæ visibile signum patribus usi-
 tatissimum. Sic Moses quando Josuam successorem suum designabat
 eiq; manus docendi commendabat, in conspectu totius populi manus ei
 imponit & hoc ritu declarat, eum legitime à Deo vocatum esse Num.
 27. v. 18. & CHRISTUS ipse infantibus benedicens manus im-
 ponit, Marci 10. v. 16.

II.

Ne igitur Andabatarum more in tenebris pugnemus, attenden-
 dum hic cum primis est, quid potissimum inter nos & Pontificios qua-
 ratur. In hoc igitur disputationis hujus cardo nequaquam vertitur,
 utrum ordinationi tribuenda sit vox Sacramenti hoc nimirum sine ut

A 2

de di-

de dignitate, autoritate ac efficacia ministerij nos admoneret, tantoq̄
 majorem ejus reverentiam in animis nostris excitaret: hoc enim modo
 si intelligatur ordinatio, haud gravatim cum Apologia confessionis
 Augustana art. XIII. Sacramentū eam vocabimus: imprimis cū appel-
 latio Sacramenti ἁγιστάριος sit atq̄ ἐκ τῶν πολλαχῶς λεγομένων, latissimeq̄
 omninò pateat, adeo ut etiam res, quibus generales promissiones anne-
 xa sunt, hoc nominis sortiantur. Quo sensu Augustinus etiam Sacra-
 mentum in genere definit, quod sit sacrum sive sacra rei signum.

III.

Status autem controversia principalis hic est: An ordinatio
 sit Sacramentum verè ac propriè sic dictum nec ne: cujus questionis
 negativam per omnia nostra tenent ac defendunt Ecclesia, Pontificijs
 interim pro affirmativa strenuè pugnantibus.

IIII.

Ordinatio igitur (definiente concilio Tridentino) est Sacramentum
 verè ac propriè dictum per manuum impositionem aliasq̄ ceremonias
 spiritualem quandam potestatem & gratiam ordinatis conferens, ut
 rectè & utiliter docere, Sacramenta dispensare, corpus item & sangui-
 nem Christi pro vivis & defunctis ritè consecrare & offerre possint.

V.

Rationes, quibus absurdam hanc opinionem stabilire conatur La-
 iolana gentis antesignanus Bellarminus, trium potissimum sunt gene-
 rum: quorum primum desumptum est ex testimonijs scripturae, alterum
 ex ratione, tertium deniq̄, ex traditione seu autoritate patrum & con-
 ciliarum.

VI.

Primum probationis genus continet tria illa Sacramenti propriè
 dicti requisita οὐσαῖμα, quae omnia in ordinatione etiam reperiri con-
 stantissimè asserit: Mandatum videlicet sive institutionem divinam
 & quidem non Veteris sed Novi Testamenti: Deinde externum Sym-
 bolum sive Elementum visibile, materiale & corporale, quod certo ritu
 tractetur & exhibeatur; & deniq̄, promissionem de gratia, effectu &
 usu Sacramenti.

VII.

Institutum quidem putat hoc Sacramentum à Domino ipso Serva-
 tore nostro in Veteri & in N. T. atq̄, ab Apostolis usurpatum ad nostra
 usque

usq; tempora perdurasse. Sic enim lib. 1. de Sacram. ordinis. c. 2. colligitur
Licet disertis quidem verbis non legatur Christum dixisse, ordinate
ministros per manuum impositionem; evidentem tamen id ex sacris lite-
ris hoc modo potest demonstrari: Non potest ullus homo gratiam alli-
gare certo signo: Sed manuum impositioni in ordinatione alligata est
gratia: E. Deum habet autorem.

VIII.

Sed mitesce Heraclite. Initiò enim fallis & falleris puerili sophis-
mate πορὰ τὸ ἐπιπέε τῆς διαπέσεως. Non enim una aut altera propri-
etas, integritatem Sacramenti absoluit, neq; solum verbum mandati,
neq; sola promissio sufficit: sic enim numerus Sacramentorum in infinitum
excresceret, omniaq; ferme vitæ genera, quippe mandatum & pro-
missionem habentia, ut magistratus ordinatio, agricultura, Eleemosyna
& c. Sacramenta essent propriè dicta: quod longè absurdissimum.
Deinde ὡς ἂν Βίουρπ etiam respondemus, quia ritus hic in V.T. usitatus
fuit, locum inter Sacramenta Novi Testamenti propriè sic dicta habe-
re nequit. Deniq; quam turpi sophismate τὸ μὴ αὐτὶς ὡς αὐτὶς ludat
paralogismus adversarij ex secundo requisito patebit dilucidius.

IX.

Alterum Sacramenti hujus requisitum, ritum nimirum sive sym-
bolum externum dicit esse impositionem manuum, cujus crebra in scri-
pturis fit mentio, utpote Act. 6. v. 6 ubi ordinantur Diaconi per manus
impositionem, Act. 14. v. 23. 1. Tim. 4. v. 14. 2. Tim. 1. v. 6. Sed respon-
demus nos, argumentationē ex illis dictis partim vero carere Elencho,
partim Sophisticationē τὸ μὴ αὐτὶς ὡς αὐτὶς continere. Istæ enim cere-
monia, adhibita olim fuit in ordinatione non ut instrumentum confe-
renda gratia, sed ut publica testificatio, qua vocatio illa in conspectu
Dei & ipsius nomine declarabatur esse legitima & divina, ne alijs
consimiliter de ea gloriarentur. Sic Paulus licet immediate à Deo vo-
catus, tamen ad Ananiam mittitur, qui imponat manus, ut constet Ec-
clesia de legitima ejus vocatione Act. 9. vers. 17: & cap. 13. v. 3. inter
gentes jam ablegandus, rursum impositione manuum, gentium doctor
renunciatur.

X.

Deinde vero ritus iste servabatur, & adhuc servatur, ut tota Ec-
clesia

A 2



Ecclesia ardentibus precibus Deo ministerium vocati commendat & ipsa persona Deo quasi offeratur, ut illi gratiam suam largiatur. Quas sane preces nunquam esse irritas aut inanes testatur Moses Deut. 34. v. 9. ubi Josua repletus dicitur spiritu sapientia quam Moses manus ipsi imposuisset, & Apostolus 1. Tim. 4. v. 14. Ut igitur Ecclesia deprecatio accenderetur; adhibitus fuit externus ritus impositionis manuum.

X I.

Unctionem de qua potissimum pugnant Pontificij eamque, tanquam omnino necessariam in ordinatione ministrorum verbi requirunt, nec CHRISTUM nec Apostolos unquam usurpasse nec ullum istarum ineptiarum in tota historia Ecclesiastica extare Exemplum, manifestissimum est. Cum igitur omni & scriptura & vera antiquitatis testimonio destituatur, non tantum contemnenda sed & perniciosa censetur. Deinde quia ritus est Judaicus ex V. T. desumptus, ubi in ordinationibus Sacerdotum adhibita fuisse legitur unctio, male omnino ad Ecclesias N. T. accommodatur praesertim sine expresso Dei mandato,

X II.

Ex his satis jam apparet ritum ordinationis Pontificiae tam non cum Apostolico convenire, ut adversa etiam fronte eidem repugnet. Libera enim & indifferenti plane usurpatione ab Apostolis in Ecclesiam fuit introductus & tum potissimum adhibitus, cum pro aliquo orabant eumque, Deo commendabant: at Pontificijs necessarius est, imo conferenda gratiae medium atque ὄχημα.

X III.

Quod ad tertium Sacramenti hujus requisitum, ipsam nimirum promissionem gratiae attinet, certum est ministerium verbi & Sacramentorum amplissimis, dulcissimisque gaudere promissionibus; ut, quod Ecclesiae ministri legatione pro CHRISTO exhortante per ipsos funguntur 2. Corinth. 5. vers. 19. & 20. Matth. 16. vers. 19. quod

quod Spiritum Sanctum illis largitur DEUS, quo ea que ad ministerium pertinent recte & utiliter prestare possint Johan. 20. vers. 23. imò quod DEUS ipse verè efficax est & totum salutis nostræ negotium per ministerium dispensat 2. Corinth. 3. v. 6. Matth. 18. vers. 18. Nam ministerium hoc externum ab operatione interna Spiritus Sancti & executione divina, nulla ratione, ut Calviniani somniant, divelli potest, illa enim per hoc operatur & hoc ex illa est efficax.

XIV.

Verùm cum Sacramenta per certa quadam visibilia signa promissionem Evangelij propriam de gratuita peccatorum remissione, ipsi fide ysdem utenti applicent & confirment: promissiones autem illæ, quod DEUS per ministerium velit esse efficax, magis ipsos auditores quam ordinatum respiciant, nec gratiam justificantem, qualis omnino in Sacramentis requiritur, imò multis planè nullam conferant. certum est eas ritui impositionis manuum nequaquam alligandas, nec Sacramenti proprias esse seu Evangelicas.

XV.

Sed sputum suum hic iterum illinit Esauita, putatq; non omne Sacramentum per se institutum esse ad remissionem peccatorum, sed sufficere si conferat gratiam gratum facientem, quæ sit efficax ad peccatum delendum si illud inveniat. Sed respondemus hypothesein hanc Belarmini falsissimam esse; Sacramenta enim Novi T, quoniam sunt ὁφρα ριδεε τῆε δικαιοσυνηε τῆε πίστεε hoc est testimonia addita promissioni Evangelice, omnino instituta sunt ad remissionem peccatorum, gratiamq; non tantum gratum facientem sed etiam justificantem, remissionem peccatorum & vitam eternam credentibus verè conferunt.

XVI.

Testimonium scripturae sacrae, cui tota disputationis hujus structura innititur, allegat Esauita, geminum: prius quidem Ex 2. Tim. 1. vers. 6. ubi Apostolus dicit: Quamobrem commonefacio te ut suscites



suscites donum Dei, quod in te est per impositionem manuum: posterius verò ex 1. Tim. 4. v. 14. Verum ad prius Respondemus nos, privilegia non esse transformanda in regulam. Dona enim illa quae Timotheus per impositionem manuum in se suscitare jubetur, fuerunt verè miraculosa, quae cum jam desierint, rationem Sacramenti habere non possunt, cum Sacramenta durare debeant ad finem usq; mundi. Posterius tam manifestum est ut nihil prorsus patrocini ad Esauitam ex eo redundare queat. Instrumentum enim collatae gratiae fuisse ipsam Prophetiam non impositionem manuum, $\sigma\alpha\phi\iota\upsilon\epsilon\alpha$ textus clarè evincit.

XVII.

In altero probationis genere ex ratione nimirum desumpto, gemino iterum argumentorum pondere pugnat Esauita: quorum prius tale est: Deus cum dat potestatem aliquam; dat etiam quae requiruntur ad legitimum ejus & congruentem usum: At in ordinatione dat Deus potestatem consecrandi & administrandi sacramenta. E. Sed Respondemus majorem veram esse $\chi\alpha\tau\iota$ non $\alpha\pi\lambda\omega\varsigma$, ratione nimirum externa actionis, quam D E V S simul largitur, non ratione spiritualis cujusdam potestatis. Legitimus autem ministerii usus in externa & visibili actione tantum consistit, prout ea à Christo est instituta, quae verbi divini praedicatione & Sacramentorum administrationem complectitur. Et hanc potestatem Christum ordinatis conferre, nulli prorsus dubitamus.

XVIII.

Ejusdem planè farinae est illud alterum quando sic infert: ordinatio non potest reiterari: E. characterem imprimit qui nec deleri nec auferri potest: Sacramentum igitur quin sit dubium esse potest nullum. $\alpha\upsilon\tau\alpha\tau\alpha$ haec sunt & hypothesis Esauita infinitis modis falsa. Hac enim ratio si militaret, tum non septem sed multò plura, quae reiterari non possunt, essent Sacramenta. Characterem autem quod attinet, quem in signum perpetuae spiritualis potestatis imprimi ait, fragmentum est in Esauitarum cerebro natum, omni scriptura, omni institutione, omni deniq; traditione Apostolica destitutū. Deinde si hypothesis haec quicquam valeret, Eucharistia quae saepiuscule repetitur, è numero Sacramentorum foret eximenda.

19. Pergit

XIX.

Pergit verò factiōnis Lajolana promachus, putatq̄, verisimile non esse, Dominum sine impositione manuum ordinationem Apostolis contulisse: nam etsi scriptum non sit per impositionem manuum ordinatos à Christo Apostolos, tamen neq̄, scriptum esse contrarium. Atqui Esauita illud verisimile à vero abest longissimè. Si enim ceremonia ista nec mandata nec prohibita, uti ipse concludis Bellarmine, utiq̄, libera erit: Si libera cur tantopere eam tanquam necessarium conferenda gratia instrumentum urges, ut fingas eum, cui omnes ritus Pontificie ordinationis collati non sunt, non posse habere gratiam qua ad ministerium necessaria est, nec posse peccata remittere, nec consecrare Sacramentum corporis & sanguinis Christi.

XX.

Quid? quod hic σοχασ μὲς tam non est vero similis ut contrarium etiam ipsa testetur Scriptura sacra. Christus enim semel post resurrectionem externum symbolum adhibuit, cum insusflaret in Apostolos Johan. 20. (qua tamen in re non imitandus sed admirandus nobis proponitur) alias nullo externo vel simbolo vel ritu alio, quando ministerium Apostolis commendavit, eosq̄, in totum terrarum orbem emisit utpote Matth. 10. Marc. 16. usus legitur. Apostoli igitur cum vellent adhibere externum aliquem ritum, sumserunt alium, indifferentem & liberum impositionis nimirum manuum, eumq̄, primo omniū tanquam adiphorum usurparunt.

XXI.

In tertio & ultimo probationis genere ex traditione nimirum, auctoritate Patrum & testimonijs Sanctorum Pontificum desumpto, copiosus admodum est Bellarminus. Sed nos illi primo statim regerimus; Ex testimonijs Patrum & conciliorum ad constituendum & definiendum articulum fidei, infirmam planè institui collectionem: Veritas enim ut Tertullianus ait, non ex persona dicentis, sed persona dicentis ex veritate estimari debet. Deinde unicum opponimus ei Augustinum qui lib. 3. de doctrina Christiana c. 9. duo tantum Sacramenta Novi Testamenti recenset.

B

22. Sub-

XXII.

Subversis hoc modo Pontificiorum argumentis, paucis jam videbi-
mus, quibus fundamentis sententia nostrarum Ecclesiarum nitatur.
Primo igitur sic concludimus: Nullum Sacramentum vere ac proprie
dictum utriq; Testamento est commune, sed institutum saltem & man-
datum novi. At qui ordinatio utriq; Testamento est communis. E, inter
Sacramenta verè ac proprie dicta referri haud potest.

XXIII.

Deinde Sacramenta sunt σφραγίδες, signacula justicie fidei hoc est,
gratuitam peccatorum remissionem omnibus Sacramento fidei utentibus,
conferunt & obsignant. At ordinatio & ad verbi ministerium vocatio
promissionem non habet quod Deus velit persona ordinata conferre, ob-
signare & applicare remissionem peccatorum & aeternam salutem. E.

XXIII.

Adde, quod Sacramenta nullas admittant ceremonias liberas & adia-
phoras, nec alligata sint ad unum certum quendam populum, sed totius
sint Ecclesie, hoc est, Christianorum omnium. Quae quia ordinationi
tribui iterum non possunt, quippe quae & ceremonias adia phoras &
paucissimos ad ministerium verbi & Sacramentorum admittat; palam
fit eam pro Sacramento proprie dicto agnoscendam haud esse.

XXV.

Ceterum quod septem illos gradus sive ordines attinet, per quos ad
supremum Missificatoris vel Sacrificuli gradum in regno Pontificio
contenditur, ut videlicet ordinandi primo omnium fiant Ostiarij, deinde
Lectores, tertio Exorcistae, quarto Acoluthi, quinto Subdiaconi, sexto
Diaconi, & tandem Sacerdotes vel Missificatores: queritur inter nos
& Romanenses, utrum necessarium & catholicum omnino sit dogma,
ut tot & tales numerentur ac sub anathematis fulmine in Ecclesiis ob-
serventur gradus, quod illi affirmant nos verò constantissime negamo.
CHRISTUS enim nec praecepit qui vel quot ordines esse debeant,
nec Apostolorum tempore adeo semper observati fuerunt, ut unus et-
iam & idem omnia illa officia quae ad ministerium pertinebant, saepius
exequeretur.

XXVI.

Interim tamen non omnem omnino graduum sive ordinum distributionem pro ratione catus Ecclesiastici reijcimus aut damnamus, imprimis cum in priscis etiam Ecclesiis officia ministerij in certos quosdam gradus, quos τᾶξις sive τᾶγματα vocabant, distributa legantur, & Apostoli alios etiam in ministros assumerint ut partes quasdam ministerij illis commendarent; Act. 6. v. 3. & c. 13. v. 1. & 2. Eph. 4. v. 11: sed aliquos in nostris etiam Ecclesiis praesertim majoribus tanquam liberos & indifferentes habita ratione decori, ordinis & adificationis pro arbitrio usurpamus.

XXVII.

Quicquid autem illi de septem his ordinibus garrunt, utpote singulos per se Sacramenta esse, nec tamen numerum Sacramentorum propterea augeri, eo quod vel unum sint genere, vel ad unum finem referantur: Christum item ipsum per omnes dictos ordines transisse, eosque instituisse; figmentum est Laiolano tripode perquam dignum, ignotum videlicet Scripturae sacrae, ignotum primitivae Ecclesiae, ignotum denique ipsi Apostolo qui nihil harum ineptiarum, in ordinatione Titi aut Timothei adhibuisse legitur. Proinde cum ἀτήματα pro ἀξιωμασι nobis hic obijciant, nudisque anathematis pugnare malint quam argumentis & ostensione fundamentorum agere, operosa refutatione haud indigent. Ad alterum igitur instituta disputationis caput jam digredimur.

CAPUT II.

QVÆ SIT LEGITIMA ET ORDINARIA
ministerorum verbi & Sacramentorum
vocatio.

B 2

Thesis I.

T H E S I S I.

AD alterum disputationis hujus caput si descendamus, deprehendimus initio adversarios non tantum Ecclesias nostras sugillare, sed funditas etiam eversas cupere. Contendunt enim in nostris Ecclesiis nullum esse verum ac legitimum verbi & Sacramentorum ministerium, nec Deum per nostrum ministerium verè esse efficacem item non posse nostras Ecclesias verum habere Sacramentum corporis & sanguinis Christi: sed omnes esse fures & latrones, non per verum ostium ingressos qui in nostris Ecclesiis ministerio verbi funguntur.

II.

Gravis sane hac est accusatio. Sed quia adversarum rationem aliam non adducunt quàm quod Ecclesiarum nostrarum ministri non sint vocati, ordinati, rasi atq; uncti ab Episcopis Pontificibus, paucis videbimus quæ sit vera & legitima ministrorum verbi & Sacramentorum vocatio.

III.

Initio autem certum est neminem in Ecclesia audiendum esse nisi qui legitime à Deo sit vocatus Rom. 10. v. 21. Is enim solus jus & auctoritatem vocationis tanquam autor ac conservator ministerij Ecclesiastici sibi reservavit & ad se ut Dominum messis pertinere voluit, ideo Christus Matth. 9. v. 37. inquit, Orate Dominum messis ut ipse mittat operarios in messem suam 1. Cor. 12. v. 28. Act. 13. v. 2.

IIII.

Merito igitur Anabaptistæ & alij fanatici reprehenduntur quæ ipsi sine vocatione docent, imò blasphemo ore effutire non exhorrescunt: si quis doctrinam Evangelij intelligat si ve sit sutor si ve sartor si ve faber, eum in Ecclesia docere & concionari debere. Sed Paulus Rom. 10. v. 15. inquit, illos qui non sunt à Deo vocati non posse predicare.

V.

CHRISTUS quidem omnes fideles fecit Sacerdotes. Apoc. 1. v. 6. &

6. 5. v.

c. 5, v. 10. 1. Pet. 2, v. 9. Verum non ut promiscuè sine vocatione ministerio Ecclesiastico fungantur, sed hostias offerant spirituales Rom. 12, v. 1. Hebr. 13, v. 15. Deinde generalis illa vocatio 1. Pet. 2. omnibus Christianis communis est, ut nimirum de Dei verbo inter se loquantur Eph. 5, v. 19. & Evangelium confiteantur: Verum ad publicam ejus administrationem non sufficit, sed peculiaris omnino requiritur. Nam quia ministerium est ordinarium illud medium per quod Deus negotium salutis dispensat Luc. 1, v. 70, magni sanè refert, ut minister Ecclesie legitimam & peculiarem habeat vocationem.

VI.

Interim tamen si accidat, ut quis per illegitima media, quod sæpius fit, ad ministerium verbi & Sacramentorum currat; non propterea sentiendum est, propter hanc exorbitantem ministri vocationem si vel maxime veram & sinceram doctrinam proponeret, verum illud Dei verbum in auditorum animis non esse efficax, Nam Evangelium est potentia Dei sive Judas sive Paulus illud annunciet Rom. 1, v. 16. Efficacia enim ministri non dependet à dignitate, vel vocatione vel intentione ullius personæ, sed voluntate & institutione solius Dei; quod plus quam manifeste patet exemplo Zephora, qua periculo egrotantis mariti coacta, circumcidit filium Exod. 4, v. 25. quam circumcisionem ratam se habere Deus ipse satis ostendit, dum ea peracta Mosè à morbo liberat.

VII.

Duplici autem ratione Deus ministros vocare & mittere solet, immediate nimirum & mediate. Immediate quidem, quando ipse hominibus loquitur & propria voce voluntatem suam patefacit, sicut sæpè in veteri & postremis temporibus in N. T. per filium locutus est. Hoc modo vocat Deus Mosè ex rubo ardenti Exod. 3, v. 4. & Matthiam, ubi voluntatem suam per missionem sortium declarat Act. 1, v. 28. & Paulum Gal. 1, v. 1.

B 3

8. Ut

VIII.

Ut autem immediatam hanc suam vocationem ab impostura fanaticorum, qui & ipsi jactant se immediate vocatos, & nescio quo interiore motu pelli ad concionandum, discerneret; dono faciendum miraculorum, alijsq; testimonijs Spiritus Sancti eam cum primis ornavit, quibus ea & probetur & confirmetur. Sic quando Christus Apostolos suos immediatè vocabat, dat illis virtutem sanandi agrotos, eijcendi demonia, suscitandi mortuos, & alia documenta, Marc. 16. v. 17. & seq.

IX.

Hanc immediatam vocationem hoc nostro tempore expectare nobis non licet, cum nec mandatum nec promissionem habeamus: sed per Apostolos prescripsit Deus, tradiditq; Ecclesie certam formam, quomodo nunc velit mittere & vocare ministros, nimirum per mediatam vocationem. Vult enim Deus ut ministerium alligatum sit ad illam vocem doctrinae, qua à filio Dei accepta & ab Apostolis immediatè vocatis, Ecclesia tradita est Gal. 1. v. 8.

X.

Mediatè verò vocat Deus ministros verbi & Sacramentorum per homines, quibus hoc muneris tanquam internuncijs Christi commissum est, & certo ordine ac legibus verbo Dei expressis; utpote per suffragia ordinum, Ecclesiastici, Politici, & Oeconomici in Ecclesia Act. 14. v. 22. per impositionem manuum 1. Tim. 4. v. 14. 1. Cor. 12. v. 28. Et hanc divinam quoq; esse, eademq; habere promissiones, testatur Paulus Act. 20. v. 28. quando presbyteros qui Ephesi, vel à Timotheo vel ab alio erant constituti, ita alloquitur: Spiritus Sanctus vos constituit Episcopos regere Ecclesiam Dei; & quando 1. Cor. 3. v. 8. ait, & se & Apollon tanquam mediatè vocatum quoad efficaciam ministerij & gratiam divinam unum esse.

XI.

Media igitur ordinaria quibus Deus ad vocationem hanc mediatam uti consuevit sunt suffragia Ecclesiae; ei enim concedidit Christus ver-

stus verbum & Sacramenta Rom. 3. v. 2. ei claves commendavit
 Matth. 13. v. 17. Sic Act. 1. cum in locum Juda substituendus esset ali-
 us proponit Petrus negotium illud non tantum in medio Apostolorum,
 sed reliquorum etiam discipulorum & Act. 6. cum eligendi essent
 Diaconi, nolunt Apostoli soli jus vocationis sibi arrogare, sed convo-
 cant Ecclesiam electi q³ sistuntur coram Apostolis, qui impositione ma-
 nuum electionem approbant & ratam faciunt.

XII.

Hic autem queritur; num ab electione & confirmatione mini-
 strorum verbi excludendus plane sit magistratus politicus. Et scien-
 dum, vocationem hanc nequaquam pertinere ad iura magistratus po-
 litici. CHRISTUS enim vult regnum suum, cuius potissima pars
 etiam est ministerium verbi & Sacramentorum, & mundi regni cum
 suis officijs esse distincta. Interim tamen quando Magistratus Christi-
 anus est, & proinde Ecclesiae membrum; mandatum habet ut non tan-
 tum privatim pro se doctrinam verbi divini amet Ps. 2. v. 10, sed et-
 iam ut suo officio nutritius sit Ecclesiae Esa. 49. v. 27. Atq³ hac ratione,
 pius etiam magistratus ut ministeria Ecclesiae recte constituentur,
 curare debet, ita tamen ut ipsis Ecclesiae ministris partes primas, se-
 cundas sibi ipsi, tertias deniq³ populo, ne quis his invitis obtrudatur,
 relinquat.

XIII.

Porro quemadmodum jus vocandi solus Deus sibi vendicat, ita
 quoq³ solus potestatem habet quempiam a ministerio hoc removendi,
 vel ab una Ecclesia ad aliam transferendi. Removet igitur DEUS
 ministros suos ab officio 1. Ratione doctrinae, quando perperam docent.
 2. Ratione vitae, quando faciunt ut blasphemetur nomen Dei. Osee 4. v.
 6. Transfert autem eos ab una Ecclesia ad aliam publicae utilitatis,
 necessitatis & aedificationis Ecclesiae gratia: Sicut Paulus non propria
 temeritate, nec dominationis aut ambitionis causa sed publicae utilitatis
 gratia Timotheum & Titum de loco in locum transtulit.

Et haec

*Et hæc de duabus positis questionibus breviter dixisse
sufficiant. Deus autor & conservator ministerij regat
& confirmet nos in puritate doctrina Evangelicæ, per-
versamq; ac eversam Pontificiorum doctrinam à nostris
templis tectis & manibus nunquam non arceat atq;
veram Evangelij lucem B. Lutheri ministerio
accensam ad gloriosum suum reditum
fulgere sinat.*

FINIS.



99 A 6902

ULB Halle

3

002 064 405




DA>OC

Retro

VD17







267.
30



o XX.
MENTO
 IS
 PARTE EX-
 I TRIDENTI-
 ssimi Viri, Dn.
 MNITII,
 ir quaestiones:
 entum proprie dictū.
 ariarum ministrorum ver-

SIDIO
 NERI, S. S. The-
 in Academia VVi-
 Julij in templo ar-
 proposita

RGEMANNO,
 Arch.

RGÆ
 gi Meisneri,
 504.

